



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Sancti Lvdovici Caroli II. Regis Siciliae Filii, Ex Ordine Minorvm Episcopi Tolosani Vita

Sedulius, Henricus

Antverpiæ, 1602

Capvt IX. De eius eruditione, & indefesso labore in concionando.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42834

CAPVT IX.

De eius eruditione, & indefesso labore in
concionando.

HActenus de eius labore, studio & indu-
striâ, post quam, Salomone docente, se-
quetur *sapientia*: quam viâ & ratione conse-
cutus, in salutaribus concionibus maximo
fructu manifestauit. Cum in animum suum
demisisset salubre monitum Hebræi Sapien-
tis, *In maleuolam animam non introibit sapien-
tia, nec habitabit in corpore subdito peccato;*
sed, *Facile videtur ab his qui diligunt eam, &
inuenitur ab his qui querunt eam*: tanquam
alter^a Daniel vir desideriorû,^b proposuit in cor-
de suo non pollui de mensâ regis Babylonis, ne-
que de vino potus eius; ^ccogitans abstrahere à
vino carnem suam, vt animam transferret ad
sapientiam, cuius ardebat vehementi deside-
rio. Docuit itaque illum *Deus scientiarum*
*Dominus, bonitatem & disciplinam & scien-
tiam*, breui spatio temporis. Nam illo dum-
taxat septennio suæ captiuitatis, quo perpe-
tuâ consuetudine fratrum Minorum uteba-
tur, qui illum in disciplinam acceperant; tan-
tos fecit progressus, ne dum in litteris huma-
nioribus, verum etiam sacris; vt in coronâ
etiam doctissimorum virorum prudenter
respondere posset (vti ipse vidi Barcinone)
& argutè disputare. Nec hoc solùm, verum
C etiam

Eccle.
10. 10.

Sap. 1. 4

Ind 6.

13.

4 Dan.

10. 11.

b Ind. 1

8.

c Eccl.

2. 3.

1. Reg.

2. 3.

Pf. 118.

66.

Ad sapien-
tia quo-
modo se
applica-
uerit stu-
dium.

Institutum
à fratri-
bus Mi-
noribus.

etiam tanquã vir Apostolicus, ad omnes paratus conciones promptusque, Clero & populo concionabatur magnã gratiã & fructu. Quin etiam in conuentibus Religiosorum, Episcoporum præsentia, totius quoque Cardinalium Collegij consistorio, imò & Regum Principumq; confessu; aliquoties orationem habuit luculentam & vtilem; tanto ardore, & efficacix neruis, vt non tam ipse, quàm secundum promissum Christi, cælestis patris Spiritus in ipso loqui videretur. In concionibus igitur ipse, etsi corpore debilior, tamen assiduus erat: quòd nosset seruum pigrum & malum à Domino reprobari, *qui talentum acceptum fodit in terram, abscondens pecuniam Domini sui.* & quod alibi scriptum, *Qui abscondit frumenta, maledicetur in populo: benedictio super caput vendentium.* Itaque dicendi facundiã pollens, ipsius naturæ habitu, tum etiam munere diuino, summæ eruditioni coniunctâ, iam Episcopus non rarò ad alias Diœceses concionaturus acciebatur. Parisiis cum diceret in concione, quæ constabat ex viris doctis, & vniuersitate studiosorum, admirationi fuit: atque eo magis, quòd non ornatu Episcopi, sed (vt erat summâ modestiã) fratrum Minorum vestitu, suggestum ascenderit. Tolosæ quoque vbi Episcopus præfuit, & plerisque aliis locis, etiam bis in die, magno auditorum fructu, sæpe concionatus est. Sed quàm grata fuerint Deo conciones eius, sub vno capiamus exemplo. *Mulier*

Ardor eius in concionibus & fructus.

Mat. 10

20.

Ind. 25.

24.

Pro. 11.

26.

In eo nullus fastus aut tumor.

lier apud Montem Pessulanum nomine Rosa, vxor Petri à Villars, iurata adfirmavit, à concione beati viri, quam supradicto, loco habuit, feriâ sextâ, filiolum suum vnus anni, strumis grauissimè laborantem, ab ipso in hunc modum sanatum fuisse. Iam Ludouicus finitâ concione mulum infederat abiturus, cùm mater puelli frænum tenens sanctum orat, vt eum tangat sacratis manibus: spes enim illi, manuum eius contactu, paruulum sanatum iri. Signat vir sanctus infantem signo viuificæ crucis, collum benignè contrectat: & continuò puer nullâ interpositâ morâ reualuit. Caræ Deo eius conciones: quia in illo os, mens, manus concordabant, sermo cum vitâ.

Miraculo
conciones
eius confirmantur.

CAPVT X.

Amore paupertatis euangelica regnum paternum spernit. factus Clericus iterat votum capiendi instituti Franciscani.

A Studiis literariis & assiduis concionibus eius, pergo ad amorem euangelicæ paupertatis, quæ adeò beati viri mentem occupauerat, vt præ Christo, qui propter nos egenus factus est, cùm esset diues, quem velut fasciculum myrrhæ dilectum inter vbera commorantem gestabat perpetuò; omnē gloriam, diuitias omnes, & potentissimum regnum, quod sibi hæreditariâ successione debebat, deserit.

Regnum
hæreditarium deserit.